





2. D. B. VI
DE

537
21
286
COMMUNIONE
FIDELIUM CUM DEO.
ET INTER SESE, 1709,

RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO, 286

DOMINO

FRIDERICO AVGVSTO,
ELECTORATUS SAXON. HEREDE
ETC. ETC. ETC.

PRÆSIDE

DN. GOTTLIEB VVERNSDORFIO,
S.S. THEOL. DOCT. ET PROF. PUBL. ALUMN. SAXON.
EPHORO, COLLEGIQUE SUI, h. t. DECANO,
DOMINO, PRÆCEPTORE, ATQUE PATRONO SUO, OMNI
HONORIS ATQUE OBSERVANTIÆ CULTU ÆTER-
NUM DEVENERANDO,

AD DIEM XXV. Octobr. A.R.S. cl^o lccc IX.

E CATHEDRA DIVI LUTHERI

PUBLICE DISSERET,

AUCTOR

M. JOHANNES PAULUS DOERFFELIUS,
PLAVIA-VARISCUS.

VITEMBERGÆ, PRELO KREUSIGIANO.

DE
D. A. N.

COMMUNIONE
FIDELIUM CUM DEO
ET INTER SESE

Rectore Academiae Magnificatissime
Serenissimo Principe ac Domino

DOMINO

FRIDERICO AUGUSTO
ELECTORATUS SAXONIAE HEREDI

ETC. ETC. ETC.

DR. GOTTLEB VERNSDORF
S. S. THEOL. DOCT. ET PROF. P. B. ALUMNI SAXONIAE
P. B. COLLEGIUM SUI P. B. D. C. A. N. O.

NOVIT. P. B. C. T. O. R. E. S. T. A. T. I. O. N. E. S. I. N. S. A. X. O. N. I. A. S. I. N. Q. U. A. M.
HONORIS C. T. E. S. T. O. R. I. A. S. I. N. S. A. X. O. N. I. A. S. I. N. Q. U. A. M.

AD DIEM XXV. JUNII. AN. 1725. IN V. S. C. A. T. H. E. D. R. A. L. I. S. S. I. M. I. S.

AUGUSTO

M. JOHANNES PAULUS DORFFELIUS
P. B. A. L. V. A. V. A. R. I. S. O. N. I. A. S. I. N. Q. U. A. M.

FRIDERICO AUGUSTO, ELECTORI SAXONIAE





§. I.



Vanta Numinis divini erga gentes humanum gratia sit, ac bonitas, si non alio, hoc uno tamen constare indicio poterat, quod Filius DEI non modo naturam hominis assumpsit, sed etiam nunc pios omnes quoad substantiam, per fidem, arctissime conjungit secum, ac co-

mpulat. Quod ipsum tantæ sublimitatis, & excellentiæ beneficium est, ut & omnem rationis captum excedat, & ab Apostolo, *Eph. V, 32.* conceptis verbis *magnus* nominetur, proximumque a Trinitatis, ac Incarnationis mysterio locum, jure quodam vindicare sibi videatur. Negabant olim Chaldæi sapientes, Deos cum hominibus habitare, *Dan. II, u.* quod arbitrabantur, angustiorem esse Numinis majestatem, quam, quæ cum abjecto miseroque homine habere commercium debeat. Sed e Scripturis didicimus, eam esse DEI benignitatem, ut minime omnium suam infra dignitatem existimet, demittere sese in pectus hominis fidelis, illudque inhabitare. *Jo. XIV, 23.*

§. II. Enimvero simulac, juxta ordinem, quem in reparando homine, præeunte Scriptura, concipimus, peccator in regeneratione fidem concepit, per eamque a reatu, quo premebatur, per imputationem justitiæ Jesu Christi, est liberatus, ad Eundem plene in gratiam rece-



ptum, propius accedit Deus, ejusdemque pectus a peccatorum sordibus, qua *dominium*, repurgatum, velut gratum sibi hospitium occupat, in eoque, nisi per peccata graviora, & contra conscientiam commissa ejectionis fuerit, subsistit, ac commoratur.

§. III. Hinc quædam hominis *cum Deo communitio*, quam Græci *κοινωνία* vocant, quamque velut omnis gratiæ divinæ *κόπον*, ac metam, collaudat Apostolus, *i. Cor. 1.9.* Præclare, ut semper, de hac *Joannes, ο Θεολόγος*, scribit: *Quod vidimus, & audivimus annuntiamus vobis, ut & vos societatem, κοινωνία, habeatis nobiscum, & κοινωνία nostra sit cum Patre, & cum Filio ejus Jesu Christo i. Ep. 1, 3.* Et mox: *Si dixerimus, quod κοινωνία habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & veritatem non facimus: Quod si in luce ambulamus, sicut ipse est in luce, societatem, κοινωνία, habemus inter Nos mutuam, & sanguis Jesu Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato. l. c. v. 6. & 7.*

§. IV. Atque hanc quidem doctrinam nostrates Theologos in *systematibus*, vel omnino præterire, vel saltem obiter, ac perfunctorie tradere, in eaque tractanda Lutheri sententiam, qui primis ab emendata religione temporibus, sæpe numero graviter eandem disputavit, deserere, *Arnoldus* scribit, *P. II. Hæresiol. L. XVI. c. 9. n. 3. f. 94.* *Wie elendiglich*, inquit, *die hochtbeure Lehre von der Vereinigung Gottes mit den Gläubigen, und untereinander, tractiret worden, zeigen die so genannten Theologischen systemata, die von Lutheri Sinn NB. vollkommenlich abweichen, vvelcher in den ersten Jahren sehr kräftig von solchen Sachen geschrieben, da man fast nichts anders davon zu sagen gewußt,*

CUM DEO, ET INTER SESE

vult, als was die Schul-Lehrer aus ihrer eöricheten Ver-
muffe davon specularer, und phantalver haben.

§. V. Quid vero tandem est calumniari, ac fure-
re, si hoc non est? Quiritatur, frigide ac jejune tractatam
esse doctrinam de communione fidelium cum Deo, ac inter
fese. Annon vero *Wigandus & Judex* in syntagm. Bibl.
P. I. p. 1246. annon *Cocernitius*, de Coena cap. X. fol. 62.
63. seq. & de duabus naturis in Christo c. VII. fol. 38. an-
non *Brochmandus*, in system. p. 296. seq. *Hülsemannus* in
Breviar. suppl. c. XIV. th. 1. p. 230. seq. & in Praef. ad F. C.
append. ad Art. XII. §. 3. p. 622. *Calovius* in system. p. 34.
348. *Quenstedius* in systemate P. III. cap. X. fol. 614. seq.
Dannbauerus in Hodol. Phæn. IX. p. 864. & X. p. 1224. seq.
annon *Guil. Lyserus*, *Matthia*, aliique Doctores hoc argu-
mentum graviter, copiose, ac sobrie sunt persecuti? An-
non *B. Königius*, suo in *Compendio*, quod, ob methodi
ἀνομιαν tantopere invisum est Noyatoribus, ut tan-
tum non Anti-Christianismi postulent, hoc argumentum
ex instituto, & data opera pertractavit? Cumque in sub-
sequentibus exprobret nostris, quod hoc ipsum mysterium
explicitissime tradere, multisque distinctionibus ab adver-
sariorum corruptelis tutum praestare studuerint, quo jure il-
los frigida, ac jejuna doctrina in simularit, nisi forsitan frigi-
dum & jejunum fuerit, in describenda mysterii hujus indole
ac natura nullam *Deificationis, confricationis cum Deo, absorp-*
tionis ab eo, excentricationis, colliquatationis cum Deo, amission-
is in Deo, aliorumque id genus vocabulorum, quibus ina-
nibus *Arnoldus*, cum suis Mysticis, delectatur, mentio-
nem fecisse. Lutherum, annis initia emendanda per ipsum
religionis proxime secutis, aliquanto durius, & securius de
hoc mysterio locutum fuisse, ut non infitior, ita & illud

A 3

tenen-



tenendum est, cum, quippe monachum, Theologia Mystica asvetum, vel inscium etiam, eorundem floculos meditationibus admiscuisse, a quibus tamen, posteaquam *Corolostadii*, & *Münzeri* exemplo, quantum inde oriri posset incommodi, didicerat, sciens, prudensque abstinuit, & aliis, ut idem facerent, auctor fuit.

§. VI. Alioqui vox *κοινωνία* non eodem modo sumitur in Scripturis. Descendit enim *απο τῆς κοινωνείας*, quod uti vel significat (α.) alteri aliquid *de suo largiri*, aut in commune conferre, quam in sententiam dicitur, *ταῖς χρείαις τῶν ἀγίων κοινωνεῖν*, *Rom. XII, 13.* & *Gal. VI, 2.* vel (β.) *de alieno*, etiam publico, aliquid accipere, ut *Rom. XV, 27*; sic & vox *κοινωνία* duplicem significationem habet, nunc ad *dandum*, ut *2. Cor. VIII, 4.* *Ebr. XIII, 16.* ubi verat Apostolus *τῆς εὐπορίας καὶ κοινωνίας ἐπιλανθάνεσθαι*: nunc ad *accipiendum*, utpote *1. Cor. X, 26.* quo in loco Paulus inter corpus Christi & panem consecratum, nec non sanguinem & vinum, veram *κοινωνίαν* intercedere docet, idque ad simultaneam utriusque dispensationem.

§. VII. Hoc loco *κοινωνία* utroque significatu capitur, notatque ex mente *B. D. Rappalti ad Epist. Joannis loc. cit.* & *unionem*, & *communicationem*, & quoad hanc posteriorem, ex parte Servatoris, *donationem* praestantissimorum donorum, & beneficiorum, ex parte piorum, eorundem *acceptationem*.

§. VIII. Duo igitur involvit *κοινωνία*: *Primo* quidem spirituales *nosstrum cum Deo conjunctionem*: ex qua *κοινωνοὶ τῆς Θεῆας φύσεως* dicimur, *2. Petr. 1, 3.* Deinceps

inceptu bonorum, ad hanc pariter & alteram vitam pertinentium, communicationem, qualia quidem sunt in hac vita, gratia DEI, & omnia illa beneficia, per quæ ad æternam salutem perducimur; in altera autem vita intuitiva S. S. Trinitatis contemplatio, & beatitudinis, quæ ex hac re summa erit, perpetua fructio. De utrisque Scriptura passim, Jo. XIV, 23, VI, 56. XV, 4. 5. 6. Rom. VIII, 9. 11. 1. Joan. IV, 12. 13. Luc. XX, 36. Phil. III, 21. Col. III, 24. 1. Joan. III, 2. Vid. B. Rappoltus l. c.

§. IX. Facile autem apparet, conjunctionem illam, seu unionem, quam *nona via* vel supponit, vel etiam involvit, minime oportere confundi cum generali illa, quæ ad providentiam Numinis universalem spectat, omnibusque adeo hominibus est communis: neque etiam cum specialissima illa, gloriosa, & solvi nescia, quæ coelis est reservata. Enimvero Generalis illa est omnium viatorum: Nostra, sive specialis, solorum reatorum: specialissima, solorum Electorum, & comprehensorum, 2. Cor. V, 7. Illa fluit ex divina omnipresentia: Ista e regenerationis gratia: Hæc ex æternæ felicitatis gloria. *Arctæ*, & indeclinabilis est generalis: *arctior*, sed evitabilis, ac dissolubilis, est specialis gratiosa: *arctissima* denique, ac prorsus indissolubilis, est gloriosa. Illa est regni potentia: ista, gratia: hæc, gloria: Per illam nos sumus in Deo Act. XVII, 27. Per istam Deus est in nobis Jo. XVII, 11. 21. 1. Cor. III, 16. 2. Cor. VI, 16. Per hanc & non apud Dominum sumus perpetuo, & Deus simul est omnia in omnibus 1. Theff. IV, 17. 1. Cor. XV, 28.

§. X. Sigillatim unio specialis, eademque gratiosa, differt non modo a gloriosa, quod illa per media divinitus
con-

constituta, hæc *sine mediis*, evenit; sed & a *relativa* illa, atque *Morali*, quæ inter Christum Mediatorem, & hominem impium in actu justificationis versatur. Uti enim omnis Pontifex *ὑπὲρ ἀνθρώπων καθίσταται, τὰ πρὸς τὸν Θεὸν* *Ebr. II, 1.* Ita et Christus, Pontifex secundum ordinem Melchisedeci, nostram suscipit, peroratque causam in judicio divino. Quatenus enim Mediator est, non sedet *pro tribunali*, & judicem agit, ut Deus, sed *ante tribunal*, coram Deo iudice, cum reo peccatore consistit, tanquam *παράκλητος* hujus, & Patronus, *Rom. VIII, 32. 1. Jo. II, 2.* nec suas ab eo rationes sejungit, sed potius eum illius conjungit, ita ut cum reo, Patronus ipse, *unam personam moralem* constituat, & *causam communem* habeat. Christus igitur in negotio justificationis omnem peccatoris reatum in se derivat, ac recipit, eoque ad dicendam causam citato, perinde ut Paulus, Philemoni placaturus Onesimum: *si quid Tibi hic debet*, inquit, *mibi imputa: Ego sanguine meo satisfaciam: Ego dependam.* Reus invicem intime suo se Patrono adjungit, dicitque: *Ego Amico meo, & amicus meus mihi proprius est Cant. VI, 2.* Vivo non jam Ego, sed vivit in me Christus, vitam autem, quam nunc vivo in carne, per fidem vivo filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semet ipsum pro me *Gal. II, 20.* Quo spectant omnia illa loca, in quibus homines justificandi sistuntur, tanquam *inexistentes in Christo*, utpote *Rom. VIII, 1. 2. Cor. V, 21. Phil. III, 7.* Hæc est unio illa *Relativa*, atque *Moralis*, inter Christum Mediatorem, ac *παράκλητον*, & inter peccatorem reum, per quam & Patronus personam peccatoris rei: & reus personam Advocati eatenus induit, quatenus

tenus nempe Christus hominis, ad se per fidem confugi-
entis, reatum in se recipit: homo invicem satisfactionem
illius, & meritum, apprehendit, totumque sese addit in
Christum, & huius undique vulneribus tectus apparet
coram Deo. Verum, quod ante diximus, illa, qua de-
agimus, unio cum hac *Relativa* confundi non debet. Per
hanc enim homo peccator est *cum Christo*, per mysticam vero
Christus est in homine: Illa, nostro saltem concipiendi
modo, & ordine naturæ, *justificationem antecedit*; hæc
sequitur. Illa inter *Mediatorem* solum, & *peccatorem re-*
um, eumque justificandum: hæc vero inter *P. F. & Spi-*
ritum S. hominemque absolutum a peccato & *justificatum*
versatur. Illa denique, quod imprimis tenendum est, in
mutua devolutione, & imputatione: Hæc vero in gratiosa,
& singularissima *inhabitatione* consistit.

§. XI. Ceterum hæc ipsa Unio nunc pro *actu*, seu
conjunctione, vel, ut nonnulli loquuntur, *unionione*, nunc
pro *statu*, conjunctionem sequente, sumitur. Actus in
Scripturis appellatur *desponsatio* credentium cum Deo,
Os. 11, 19, 20. Uti enim desponsatio inter homines profluit
ex amore, & interveniente *arrba* firmatur, ac denique *per*
nuptias, & copulam, consummatur; sic etiam spiritualis
Dei, animæque per fidem conjunctio nascitur, ex inten-
sissima Numinis erga genus humanum *charitate*; interve-
niente Spiritu S., quo velut *arrba* quadam obsignamur
in diem promissionis, *2. Cor. 1, 21. Eph. 1, 13. IV, 30*. quo
nempe nuptias celebraturi sumus in coelis *Apoc. XIX, 7*.
Status autem unionis Christi, & Ecclesiæ *Conjugium* dicitur
Eph. V, 24, 25. Uti enim (1) conjugium *sequitur de-*
sponsationem; ita et Unionis status actum illius excipit.
Uti (2) conjugium *cum mutuo amore conjunctum* est; ita &

B

duran-

durante Unione mystica non modo Deus hominem, sed & homo invicem Deum amat. (3) Uti per conjugium *dua substantia arctissime conjunguntur*, ita ut sint duo in carne una; ita & in unione mystica Dei, hominisque, substantia secum arctissime conjunguntur. (4) Uti in conjugio maritus uxori suae, & vice versa; sic Deus homini per gratiam; & invicem homo Deo, per fiduciam, adhæret: Uti (5) maritus *caput est suae conjugis*; ita & per Unionem mysticam Christus suae Ecclesiae. Et quemadmodum (6) maritus conjugem non modo ducit, sed & *alut, defendit, ac ornat*; ita & Christus non solum desponsat sibi Ecclesiam, sed eam quoque verbo, & Sacramentis alit, potentique gratia defendit, multisque rationibus amplificat, & ornat. (7) Per conjugium mas & femina *una sunt caro*: per unionem mysticam Deus & homo unus sunt spiritus. (8) Denique ut conjugium *de jure solvi* non debet; ita nec Unio inter Deum, & inter animam fidelem.

§. XII. Actus unionis, vel coniunctio dicitur etiam *adventus ad fideles Jo. XIV, 23.* ob majorem approximationem, ut loquimur vulgo, substantia. Quo quis enim advenit, eo non solum ratione *qualitatum*, sed ipsius etiam *substantia* accedat necesse est. Status autem Unionis appellatur, *μονή* i. e. nec non inhabitatio, vel, *ἐνοικήσις*, idque (a) *ob mansionis continuationem*. Ubi enim quis habitat, eo non ad tempus divertit, aut per noctem subsistit, sed hæret potius ibi, perpetuoque moratur. (b) *Ob anima inhabitata curam, & adificationem*. Quas enim quis ædes inhabitat, eas curat, sartasque, ac tectas conservare studet. (c) *Ob subsequendam in anima operationem*. Ibi enim quisque laboribus suis vacat, statasque, ac fixas occupationes obit, ubi domicilium habet. (d) *Ob familiarem*

CUM DEO, ET INTER SESE.

liarem cum anima conversationem. Ubi enim quis habitat, ibi cum hospite ac domesticis, familiariter conversatur.

§. XIII. Sive autem pro actu capiatur, sive pro statu, variis hinc inde nominibus ac titulis insignitur. Dicitur enim *Spiritualis*, a causa & modo proprio, quod per Spiritum S. gratiose nos inhabitantem, & modo supernaturali, ac spirituali, non carnali, per contactum, & infusionem perficitur, ut loquitur B. D. Rappoltus l. cit. Nonnulli *Accidentalem* vocant, non a terminis, vel extremis, quæ uniuntur, (quum non accidentia, sed substantiæ conjungantur,) sed a ratione conjunctionis *generali*, quæ est *accidentalis*, si quidem una substantia, quæ natura sua non est ordinata ad conjunctionem cum altera, nihilominus accidentaliter cum ea copulatur. Appellatur etiam a quibusdam nostratium *substantialis*, sed accurate loquendo *substantiarum* est potius, quam *substantialis*, et passim B. Hülfemannus monet, abstinendum esse ab usu nominis *adjectivi* substantialis, & *adverbii*, substantialiter, quum *humanus intellectus non aliter fere cadat in ista vocabula, quam cum conceptu descripti unionis modi*. Illa vero, de qua loquimur, unio, *formaliter*, & *ratione modi*, substantialis non est, sed *objective*, siquidem extrema, inter quæ intercedit Unio, sunt substantiæ. Communissime dicitur *mystica*, non quod in Unione morali, aut personali, aut sacramentali, aut symbolari, nihil deprehendatur mysterii, sed partim distinctionis ergo, ne confundatur cum aliis, partim quod ab ipso Apostolo μέγα μυσήριον appellatur *Eph. V. 32.*

§. XIV. *Personalem* esse hanc Unionem sani omnes infutiantur: *Essentialem*, Nostrates ex alio atque alio capite nunc affirmant, nunc negant. Quando enim vox



essentialis modalis sensu accipitur, tum vero eandem essentialem esse aduersus *Stenckfeldistas, Osandristas, Weigelianos, Tremulos, Pietistas, & fanaticos* reliquos, recte negatur: si autem *obiectivo*, tum id aduersus *Pontificios, Calvinianos, Syncretistas, & alios* quosdam merito affirmatur, quoniam ipsa Form. Conc. Loco III. de *Iustitia fidei coram Deo*, in Epit. p. 587, inter alios, hunc quoque errorem rejicit: *quod non ipse Deus, sed tantum dona Dei, in credentibus habitent*. Add. B. *Cheennit. de duabus naturis c. 7. & 31. B. Hülsem. in Breviar. in c. 14. Calov. Tom. II. System. de Omnipraf. Dei Q. III. p. 630.*

§. XV. Sed ut paulo propius accedamus ad institutum, quando vox unionis pro *actu* sumitur, tum eam Deus trinunus efficit, qui per vehiculum verbi ad nos venit, & mansionem apud nos facit, ut loquitur Scriptura *Jo. XIV, 23. XV, 26. Jerem. XXXI, 6. Pater* quidem, per *Eph 1, 17. 22. 23. Filius* per *Jo. XV, 5. Spiritus S. per 1. Cor. VI, 9.* Omnes enim media inhabitandi conferunt, omnes animam fidelem illuminando, convertendo, regenerando, justificando, in hospitium præparant, ergo & ingrediuntur & occupant, ipsamque adeo conjunctionem conciliant.

§. XVI. Liberator Immanuel hæc omnia perfectissima sua obedientia, imprimisque passione, ac morte promeruit. *Eph. II, 20. 21. V, 15. 16.* Habitat enim Christus per fidem in cordibus nostris, *Ephes. III, 17.* Fidei autem ἀρχηγός καὶ τελειωτής est Christus *Ebr. XII, 2.* Absque hoc igitur si esset, cuius dicendum esset cum Centurione: *Domine, non sum dignus, qui ingrediaris tectum meum Matth. VIII, 8.* Neque vero hic assentior *Hornejo*, qui in *Exp. literali Epist. Joan. p. 14. 15. & sigillatim capitis*
 k com-

I. commatis 7. verba: *Sanguis J. Christi, Filii ejus emundat nos ab omni peccato*, negat absolute intelligi oportere; sed potius *sub conditione*, si nimirum in luce ambulaverimus, tum demum nos habere communionem cum ipso, & repurgari a peccato, quæ posteriora verba, non sine errore quodam ab antecedentibus separentur. Cui sententiæ etiam *M. A. H. Franckium in conc. Germ.* adstipulari memini. Verum Propositio omnino *absoluta* est, & communionis spiritualis cum Deo *causam meritoriam simpliciter* ostendit, non tantum *in applicatione*, verum etiam in *acquisitione* meriti spectatam. Vocula enim *εάν* non ad utrumque membrum, sed ad prius tantum pertinet, ostenditque conditionem subjectorum, quæ in communionem a Deo recipiuntur. Quæ quidem *conditio* non *causa* est, nec enim opera lucis, tot maculis erroribusque obnoxia, communionis illius causa sunt; sed *ordinis tantum* & *signi*, ut in illo *Rom. VIII, 13*. Si spiritu actiones carnis mortificaveritis, vivetis. Vid. omnino *B. Rappoltus loc. cit. p. 43*.

§. XVII. *Media*, quibus hæc conjunctio procuratur, ex parte *Dei* sunt *verbum* & *sacramenta* *2. Petr. I, 3. 4. Epb. V, 26. Gal. III, 27. 1. Cor. X, 16*. Ex parte *hominis* non *charitas*, quod fanaticis est pervasum, sed *Fides* *Jo. XIV, 23. VI, 56. Gal. II, 20. III, 16. 27. Epb. III, 17. 1. Joann. IV, 15*. Enim vero *Charitas* est ex lege: *Unio mystica*, ex Evangelio. Ex eadem *cognoscitur Unio* *1. Jo. III, 24. IV, 25*. non per eandem *atrabitur*. Verba vero *Johannis*, qui scribit: *Si in luce ambulamus, sicut & ipse est in luce, societatem habemus ad invicem*, quomodo accipienda sint, modo evicimus.

§. XVIII. *Extrema*, quæ uniuntur, sunt ipsa uniendorum *essentia*, hinc Dei trinunius, siquidem dicimur participes fieri *τῆς Θεας Οὐσείας* 2. *Petr.* 1, 3. hinc hominis, tum quoad animam, tum quoad corpus, nam & corpora fidelium dicuntur templa inhabitantis Dei 1. *Cor.* VI, 15. 29. *Eph.* V, 30. Neque vero *Humana Christi natura* ab hac conjunctione est excludenda, quippe quacum non modo in Sacra Coena per participationem corporis & sanguinis, sub symbolis panis, & vini, sed & extra eandem, per fidem conjungimur *Jo.* VI, 56. *Gal.* II, 19. 20. III, 27. Uti enim secundum utramque naturam efficax est, ad producendam fidem per verbum, & sacramenta, *Marc.* XVI. & fides in Christum, secundum utramque naturam consideratum, fertur; *Jo.* XIV, 1. Sic per fidem quoque cum Christo secundum utramque naturam conjungimur. Notatu dignum est theorema *B. Menzeri T. V. Giff. Disp. VI. §. 32. Ubique de existentia, & gratiosa presentia Christi Scriptura loquitur, juxta utramque naturam accipiendum est, quia, ut non sine Deitate sua Christus est, ita neque sine sua humanitate, cum Christus non sit aliquid tertium, a deitate, & humanitate distinctum, sed est sua Deitas, & humanitas personaliter unita.*

§. XIX. Ceterum ex hactenus disputatis facile constabit, in quonam forma hujus unionis debeat collocari. Ac *Arnoldus* quidem pro nugis & ineptiis reputat, de assignandis huic limitibus magnopere laborare velle: In hæc enim verba prorumpit *in Hæreseol. P. II. L. XVI. c. 9. n. 3. f. 94. a. b. Es sind ja die gemeinsten Fragen, (nempe in systematibus) ob die substantia physica der Gläubigen mit der substantia der gantzen Dreyfaltigkeit, und der menschlichen Natur Christi, auch ausser dem Sacrament, vabr-
bafftig,*

baffig, realiter, jedoch impermixtibiliter, illocaliter, incircumscriptive, per consubstantiationem, oder per transsubstantiationem, oder per essentia divina approximationem, personaliter, oder wie sonst, vereiniget werden? Ausser diesem NB. unnützen Grillen wird wohl vvenig gutes und kräftiges in der gemeinen Theologie, auch noch, zu finden seyn, weil es denen armen Seelen an der lebendigen Krafft, und Erfahrung gemangelt hat.

§. XX. Parum nimirum, *Arnoldi* iudicio, interest, seu quis per & propter mysticam Unionem se arbitretur *transmutari* in Deum: seu etiam post sui cum Deo conjunctionem, verum se hominem, & a Deo multo diversissimum manere, existimet: seu quis *realiter*, seu *mentaliter* Dei se compotem fieri putet: seu quis naturam suam cum divina *misceri*, seu non *misceri* statuat. Atqui non levis, sed capitalis error est, Deum sese quoquo modo fingere. Cum Rex Herodes vocem tantum Dei tribui sibi ab assentatoribus pateretur, percutiebatur a Domino *Act. XII, 21.* Paulusque & Barnabas nullo modo poterant ferre, imo manibus, pedibusque obnitebantur, ne haberentur pro Diis *c. XIV, 14. 15.* Gravius hoc est mysterium, quam, ut in eodem concipiendo per temeritatem peccare liceat: Finge, hominem persuasum habere, se Christum ipsum esse, experientia docebit, ad quantum ille prolapsurus sit factum, quod *Jes. Stiefelii* & *Ez. Metzi*, aliorumque exemplis doceri potest. Conf. summe *Rer. Dn. D. Schelvigii Synopsis Contr. Art. XXI p. 170.* Et verò numne pro nugis & ineptiis haberi debebant, quæ a Doctoribus nostris ad hoc mysterium, a corruptelis defendendum, ex ipsis SS. literis afferuntur? Sed nolo pluribus exagitare putidissimam sententiam, cujus iniquitatem ipse

ipse Arnoldus quodammodo agnovisse videtur in den *Abwegen und Mißverständnissen der Gläubigen L. I. c. XII. n. 14. p. 250. sq.* imprimis p. 255. ubi B. Meisnero, Scherzero, Varenio, id testimonium perhibet, daß Sie mit grosser Vorsichtigkeit allen Mißverstand, und Excels, bey dieser Sache wegzunehmen gesucht, und sonderlich wieder allen übeln Verstand von Vereinigung des Göttlichen Wesens mit dem Menschlichen Geist protestiret haben &c.

§. XXI. Demus igitur operam, ut rectam de hujus mysterii natura sententiam teneamus, idque eo magis, quod nullo prope tempore defuerunt, qui vel in excessu, vel in defectu peccarent. Excessu quidem omnes, qui hanc unionem, ratione formæ, ad modum ἀποθεώσεως conceperunt. Cui persuasioni quosdam etiam e Patribus vel prælusisse, vel etiam indulgisse, videmus. Irenæus L. III. adv. hæc. c. 6. f. m. 175. allegans illud Davidis e Ps. LXXXII, 1. Deus stetit in synagoga Deorum: Quorum, inquit, Deorum? Quibus dicit: Ego dixi Dii estis, & filii altissimi omnes, Hi scilicet, qui adoptionis gratiam adepti sunt, per quam clamamus, Abba, Pater. Et Basilius M. hom. de Spiritu Sancto: Θεός, αἶτ, ἐστὶ διὰ τὸ τριπλῆς τῶν ἁγίων. Et Gregorius Naz. Epist. LXIII. T. I. f. 120. scribit: Τῆς ἀρετῆς ἀθλον, Θεὸν γενέσθαι, καὶ τῷ καθαρωτάτῳ φωτὶ κατασφραγισθαι, τῷ ἐν τῇ τρισσῇ μονάδι θεωρημένῳ, ἧς νῦν μετρίως ἔχομεν τὰς ἀυγὰς: Virtutis premium est, Deum fieri, ac purissimo illo lumine irradiari, quod in triplici Unitate consideratur, cujus nunc radiis leviter tantum perstringimur. Præcipue vero huic sententiæ favere visi sunt, qui Platonis sapientia inbuti ethnicam superstitionem cum Christiana

stiana religione commutarunt, ut *Macarius*, quem hoc nomine merito suo notat *Celeberr. Bucerus*, in *mensibus Pietisticis*, m. X. p. 359. seq. & imprimis p. 404. *Clemens Alex.* qui *L. IV. Strom.* docet, quod in contemplatione constitutus, omnibus affectibus sit exemptus, & in divinam quandam naturam transeat, *Ἰεσμενος*, Deificatus. Horum vestigiis insitit *Mystica Theologia*, quam vocant, studiosi, partim veteres, de quorum crassis loquendi formulis, ipse etiam *Taulerus*, & *Rusbroebius*, conqueruntur, partim recentiores, in his *C. Schwenckfeldius Val. Weigelius*, imprimisque *Böhmus*, qui in *Aurora cap. XXIII. §. 46.* scribit: *So du heilig lebest, so bist du selber Gott, nehmlich der hochheilige Gott, in seiner heiligen Dreyfaltigkeit.* Et c. XXIII. §. 6. persuadere homini studet: *Es sey der Mensch keine andere materie, als Gott selber.* Nec melius *Arnoldus* ipse in *der Abbildung L. I. p. 142.* *Eine Seele*, inquit, *die wie ein Eisen im Feuer, stets in Weisheit, und in Gott steht, die ist Gott.* Et alio loco: *Gleichwie die Warmmachung und die Mittheilung der Wärme einerley Ding ist, eben so die Mittheilung der göttlichen Natur, und die Vergötterung sind offenbahrlich gleichlautende Redensarten.* Vid. *Ejusd. Vertheid. der Theol. myst. p. 28.* Quæ quidem ei merito exprobravit *Celeberr. Etzardi in Erwägung der Motiven*, p. 117. ut defendat, & incrustare studeat *Keslerus Goth. in der Krafft der Warheit* p. 9. 10.

§. XXII. Etsi vero cum Patres, tum Mystici, tum denique professi fanatici *ἀποθέωσι* aliquam statuerunt, ex alio tamen alioque capite hunc in errorem incidisse mihi videntur. Saniores enim *Deificationem* aliquam fidei homini tribuunt, ob illustriorem imaginis divinæ restitutionem, & accuratiorem Verbi Dei observationem, utpote

C

Irena-

Irenæus, cujus verba supra dedimus, *Atbanasius*, *Augustinus*, & alii. Nec negari potest, *Lutherum* ipsum, quum adhuc Theol. Mysticæ studiosus, nec, quantas illa absurditates secum traheret, exemplo *Carolo stadii*, & *Münzeri* edoctus esset, aliquando liberioribus loquendi formulis usum fuisse.

§. XXIII. Ceteri, iudicio nostro, vel per *ignorantiam* Scripturæ Sacræ, vel per nimiam *Platonice* Philosophiæ admirationem, hos in errores prolapsi sunt. Somniabat enim *Plato*, animas nostras ἀποσπάσματα quædam, vel particulas, ut sic loquar, Divinitatis esse, quæque adeo diu, antequam corpora generando producerentur, extiterint: detrusas autem eas esse in corpora, tenebricosa, materialia, crassa, & molesta, quorum sordibus, velut contagio quodam, inficiantur. Et quanquam redeundi ad Deum, a quo trahant originem, perpetuo quodam desiderio tangantur, eas tamen non prius voti compotes posse fieri, quam repurgatæ a sordibus, divinoque lumine collustratæ, sensim paullatimque cum Deo reduniantur, imo ad divinam, e qua promanarint antea, essentiam refluant. Nihil nos hoc quidem in argumento fingere, vel ipsius *Tauleri* testimonio confectum dabimus, ad quod eo lubentius provocamus, quod ipse alioqui ab hoc Deificationis monstro alienior esse videri voluit, & tantum non cum *Epiphanio* πονηρὰν ἀρεσιν appellavit, credere, hominem transmutari in Deum. Ita vero *Taulerus* in *Conc. Dom. XV. Trin. p. m. 770.* Wenn einer den äußerlichen Menschen mit aller seiner Übung zeucht, in den innerlichen vernünftigen Menschen, als denn begeben sich diese beyde Menschen mit einander gantz in die Verborgenheit des Geistes, darinnen das wahre Bild Gottes liegt, und

da

da vvirfft sich alles untereinander in den Göttlichen Abgrund, darinnen der Mensch von Ewigkeit her gewesen ist, NB. auch ebe er geschaffen worden. Wenn nun der gürtige, und barmherzige GOTT siehet, dasz sich der Mensch ganz lauterlich zu ihm gevvendet hat, so weiget sich alsbald der Göttliche Abgrund zu dem lautern, und zu ihm gevvandten Grund des Menschen, und NB. vervvandelt den erschaffenen Grund in ein unerschaffenes Wesen. Item Conc. II. Von der Creutz-Erhebung p. m. 135. Wenn der erschaffene Geist sich ergiebt mit dem Gemüth in den verborgenen Göttlichen Abgrund, so vvirdd er in diesen verborgenen Wesen vviaderum getragen in seine Unerchaffenheit, da er von Ewigkeit her gewesen, und erkennt sich selbst als einen GOTT, in GOTT, und ist doch in sich selbst nur eine Creatur. In GOTT aber sind alle Dinge GOTT, da sich dieser Grund, oder Geist des Menschen innen findet. Provat quoque eodem illo loco, ad testimonium Procli, quem insignem fuisse Platonium satis constat.

§. XXIV. Prout igitur ex alio alioque capite hanc imbiberunt, ac defenderunt sententiam; ita quoque aliud atque aliud de iis ferendum est iudicium. Quotquot enim ob restitutionem imaginis Dei, & quandam cum Deo per charitatem assimilationem, hominibus ἀποθέωσιw tribuunt, horum sententiam, quodammodo excusandam, modum tamen loquendi minime imitandum, putamus, quum non modo ἀγραφος sit, & Platonius, sed & superbiam ac fastum spirituales pariat, & infirmorum offensiones, multosque alios, etiam absurdissimos, errores post se trahat. Qui autem ob verba Scripturæ non recte intellecta, nescio qua, inani persuasionem sunt occupati, horum non modo errorem, sed & contumaciam, per quam

raro sese ad sanitatem reduci patiuntur, vehementissime improbamus. Utrumque horum, fallor? an experientia convictus, non diffitetur Arnoldus, in den Irrwegen L. I. c. 12. n. 22. p. 260. sq. Ein solcher, inquit, der sich selbst mit allem seinem Wesen und Thun vor Christum hält, muß notwendig bey dergleichen impression von sich schließen, und dencken, es sey alles schon in ihm vollbracht, was Christus zu seiner Erlösung in dem Menschen thun müssen. Und folglich wird er den wahren niedrigen Sinn, und das Creutz Christi, mit Willen verlassen, und zugleich in die größte Nachlässigkeit gerathen, als ob nun nichts weiter zuthun oder zu kämpfen sey, sondern man nach eigenen Gefallen leben dürffe, und darzu alle Freyheit und Vergünstigung habe. Damit beraubet der Satan solche betrogene Gemüther würcklich aller rechten Wohlthaten Christi, die er uns erworben hat, und etwann auch angefangen, einer solchen Seele zu Nutz zu machen, und auszuführen. Und das elendeste ist noch über disz, daß sich solche Seelen nicht wohl einreden lassen, oder warnen, weil sie ein falscher betrügerlicher Geist allzustarck eingenommen, und besessen hat, daß sie von ihren Höhen nicht herunter steigen wollen, noch erkönnen, wie gar nichts sie doch gegen den hochgelobten Sohn Gottes und einigen Herrn seyn. Quæ omnia Ez. Metbii, & Jes. Stiefeli aliorumque exemplis illustrat et ad eorum historiam P. III. c. 4. Hæresol. ab se traditam Lectorem ablegat, quam tamen mala fide, nec bono consilio, Arnoldum recensuisse, harum rerum periti facile assequuntur.

S. XXV. Quod ad Mysticos crassiores, ipsosque adeo fanaticos, attinet, horum tanto magis improbandus est error, quanto inquinatior fons est, ex quo manavit.

Quid

Quid enim tristius est, imo detestabilius, quam limpidos Israelis fontes putidissimis Platonis aquis corrumpere? Nescit ἀποθέωσι, & fidelium Deificationem, vel Christianificationem, Scriptura, tantumque abest, ut eam, tanquam peculiare quoddam beneficium fidelibus promittat, ut etiam ejus ambitionem *Gen. III, 6. sq.* velut omnis miserix originem, proponat nobis, ac sistat. Tribuitur quidem iis κοινωνία τῆς Θείας Φύσεως *2. Pet. I, 4.* Sed κοινωνία omnis non destruit id, quocum hoc illudve communicatur, sed potius boni alicujus accessione amplificat, ac beat. Etenim in ipso Unionis statu est, manetque, tantum inter Deum, & hominem discrimen, quantum inter creaturam, & Conditorem: finitum ac infinitum, corruptissimum, & sanctissimum concipi potest. Agnoscit hoc e Mysticis Taulerus ipse in Medulla animæ, cap. IX. §. 57. imprimisque urget Rusbrochius in Spec. at. fal. c. XXV. *Ich wil, inquit den Leser erinnert haben dasz vvo gesagt vviird von der Einigkeit mit GOTT, man solches verstehe in der Liebe, und nicht in der Natur und Wesen. Den das Wesen GOTTes ist unerschaffen, unsers aber ist geschaffen. Deszhalben sind Sie unermeszlich vweit von einander, ich meine GOTT und die Natur, oder Creatur, daber ob sie gleich vereinigt, oder verbunden vverden können, so können sie doch nicht eins vwerden. &c.* Optarim tamen utrumque hos, & ceteros quoque mysticos, in proponendo hoc mysterio, cautius & circumspectius versatos fuisse. Ipsi enim non semper observant, quæ aliis tanquam probe custodienda commendant, quod ex scriptis eorundem cuius evolventi et expendenti patet. Conf. omnino *Celeberrimus Bucherus m. Pietist. XII. p. 404. sq.*

C 3

§. XXVI.



§. XXVI. Idem mihi de iis ferendum est iudicium, qui per, & propter hanc mysterii ac dignitatis plenam conjunctionem, naturam nostram cum divina *misceri* statuunt. Quod ipsum denuo hinc in *Patribus*, hinc in *Mysticis* noto. Ac illi quidem, si cetera sani fuerint, haud dubie hac voce non alio consilio sunt usi, quam ut conjunctionem non modo veram, sed & intimam esse insinuarent. Eadem enim de causa ipsam quoque Unionem personalem in Christo, tam ante, quam post tempora Concilii Chalcedonensis, per quamdam *utriusque natura permissionem* descripserunt, non, quod crederent, Spiritum cum carne, Deum cum homine, infinitum cum finito *misceri* posse; sed tantum, ut ostenderent, non mere *parastaticam* illam conjunctionem fuisse, aut talem, quæ in nuda *gestatione*, ac *sustentatione* consistat, sed potius, intimam, cum *approximatione* mutua, & vera *περιχωρήσθ*, ut veteres loquuntur, conjunctam, quam in sententiam *Lutherus* ipse alicubi *duas naturas in Christo in unam personam commisceri* scribit, observante *Formula Concordie Declar. Art. VII. de persona Christi p. 1091. ed. in 4to.* non ut *Eutychetis confusioni* faveret, sed ut *Nestorianæ parastasi* se opponeret.

§. XXVII. Ceterum uti Patres, maxime saniores, post Concilium Chalcedonense, & mota ab Eutychianis certamina, fere a vocabulo *miscere*, in Art. de Unionem personali, sibi temperasse didicimus; ita multo magis ab eodem, in capite, de *Unione mystica* nobis est abstinendum, hoc tempore, quo videmus, absurdissimas quasque falsissimasque sententias, sub incautis loquendi formulis, in Ecclesiam invehî, hominesque tanto de mysterio male institutos ad nescio quas vesanas, & absurdas, opinio-
nes

nes prolabi, quibus rectus Dei cultus infringitur, ac impeditur.

§. XXVIII. Sic igitur multi e Veteribus, juxta & recentioribus, in explicanda hujus mysterii natura *in excessu* peccant. Alii contra in *defectu*. Quum olim *Osiander* in Prussia substantialem Dei inhabitationem multo fermone deprædicaret, erant, qui Deum, qua substantiam cum hominibus conjungi negarent. Sed recte hoc nomine reprehendebantur a *Philippo*, qui ejus sententiæ fundamenta sacris in literis ostendebat. Vid. *Hartknob. in H. E. Pruten. L. II. c. 2. p. 314.* Nec tamen etiam nunc defunt, qui formam rationemque hujus mysticæ Unionis in sola *conformitate affectuum*, vel etiam benigna Spir. S. in credentibus *operatione* tantum figant. Quo sententiæ, post *Pontificios*, & *Calvinistas*, illi potissimum propendunt, qui *G. Calixti*, & *Jo. Musæi* placita admirantur.

§. XXIX. Sed enim si alterutrum horum obtinet, tum non video, cur Apostolus hanc Unionem non modo ut mysterium, sed & *μέγα μυστήριον*, *Eph. V. 32.* deprædicarit. Si nuda *affectuum conformitas* rationem hujus mysterii exhaurit, quid tandem differet a summa consensione, qualis inter homines, intima familiaritate conjunctos, utpote Jonathanem & Davidem, Damonem & Pythiam, Pyladem & Orestem, intercedebat? Christus, per & propter hanc conjunctionem, dicit se esse, in nobis, uti ipse est in Patre, *Jo. XVII, 21.* Verum ob nudam animorum consensionem nullus Amicus in altero esse dicitur, & Filius Dei non modo, qua concordiam, sed & qua essentiam est in Patre.

§. XXX. Neque vero *nuda operatio* indolem ac naturam hujus conjunctionis absolvit. Legimus enim, Deum

Deum ad credentes *venire*, & apud eos *manere*, in iisque *ambulare*, Jo. XIV. 23. 2. Cor. VI, 16. quæ quidem vocabula ὑπαρῶντα in ἐνεργητικὰ transmutare nostro iudicio est nefas. Adhæc Petrus divinitus δὲ δαρημένα ἀνομιὰ τῆς θείας φύσεως, sollicitè distinguit. 2. Epist. 1, 4. Quid? quod omnis Dei operatio substantialem ejus adessentiam supponit. Præsentis enim est operatio, non absentis.

§. XXXI. Dixeris: *Atqui Deus qua substantiam jam adest, præsentia generali: Imo hac ipsa de causa negatur, hanc Unionem amplius quid, quam novæ operationis accessionem involvere, quia Deus per se propter immensitatem jam dum tam prope adest, etiam qua substantiam, cuius credenti, ut propior fieri non possit.* Male vero supponitur, Deum ob præsentiam generalem, in immensitate fundatam, *nullo modo*, ulli creaturæ, qua substantiam, propiorem fieri posse. Quis enim neget, Deum, etiam qua substantiam, propius quodammodo accessisse ad creaturam quando vel sub rubo ardente, vel pyramide ignea, vel corpore columbino, tanquam specialis præsentia symbolis, sese manifestavit? Annon Filius DEI, per naturam omnibus creaturis præsentissimus, etiam qua substantiam, propior factus est suæ carni, ita ut eo modo adsit eidem, quo nulli alii creaturæ adest? Ac licet eminentissima, & sine exemplo, sit isthæc Dei hominisque in Christo conjunctio, sufficit tamen ad ostendendum, majorem approximationem substantiæ divinæ, propter fundatam in immensitate omni præsentiam, non repugnare.

§. XXXII.

§. XXXII. Media igitur via procedendo statui-
mus, mysticam illam conjunctionem formaliter in eo
consistere, quod substantia hominis, qua corpus, & ani-
mam, cum substantia Dei trinunius, ipsaque adeo carne
Christi, procul omni extensione, vel contractione, vel
transmutatione, vel confusione, intime & arctissime co-
pulatur per fidem. Dicuntur enim (1) P. F. & Spir. S. ad nos
venire, & mansionem apud nos facere *Jo. XIV, 23.* quæ
verba ipsius substantiæ approximationem involvunt. Ii-
dem *inhabitant* corda fidelium *2. Cor. VI, 16.* Nullius au-
tem solæ qualitates domum inhabitant, sed is, cujus sunt
qualitates, una cum qualitatibus ipsis, inhabitat. (2.) Per &
propter hanc conjunctionem *κοινωνοι* evadimus *τῆς*
θείας φύσεως *2. Petr. I, 4.* (3.) Conjunctio Christi cum
membris Ecclesiæ mystica comparatur cum amore, qui
datur inter conjuges, qui tamen arctissimam quandam
copulam, & extremorum præcipue *ἀδιασολαν*, corpo-
rumque ipsorum conjunctionem, involvit, ita, ut sint duo
in carne una. Conf. *1. Cor. VI, 16.* cum *Eph. V, 30.* *Quapro-*
pter divina essentia, a fidelibus mystica Unione beatis, non
magis remota est, quam a meretrice scortator, cum ea in
unam carnem conjunctus, aut a corpore nostro anima, quo
simili B. D. Dorscheus utitur, Dissert. II. Auct. in Pentadec.
p. 589. seq.

§. XXXIII. Finis hujus conjunctionis præcipuus
est conservatio in statu gratiæ, seu, gratiæ in justificatio-
ne acceptæ, continuata per fidem fruitio: tum vero in-
fluxus Christi capitis, in sua membra, & benigna Spiritus
S. ceu in templo, per ob signationem gratiæ divini, opera-
tio: denique fidelium inter sese, in vera fide, & chari-
tate conjunctio, de qua mox dicemus.

D

§. XXXIV.

§. XXXIV. Actum Unionis, sive conjunctionem, excipit *status*, & e statu resultans *communicatio*. *Status* (I.) intercedit inter Deum Trinum, non exclusa Christi humanitate, & inter animam credentem. *Fundamentum* ejus *remotum* est, Dei, ad sui cum homine conjunctionem *activam*, propensio: hominis ad *passivam* per fidem dispositio, in qua homo se suo modo habet *active*, quia jam est renatus, & justificatus, adeoque ad cooperandum cum Deo idoneus *Eph. V. 26.* actu diligit Deum *Jo. XIV. 23.* seipsum quoque sanctificat, per modum causæ secundariæ, *2. Tim. II. 21. 1. Jo. III. 3.* & ut Christus sponsæ, sic ipse invicem Christo, adhæret. *1. Cor. VI. 16.*

§. XXXV. *Formaliter* Unio, qua statum, consistit in mutua Dei & hominis adhesionem, ac præsentia, quam *κόλλησις* nominat Scriptura l. c. Tria igitur involvit. Primo (a.) *substantia Dei, & hominis fidelis mutuam ἀδιασπασίαν*. Est enim modus præsentia divina specialissimus, qui omnem excludit distantiam, nec modo præsentiam *generalem* supponit, sed & majorem approximationem ipsius substantia divina, quod supra ostendimus, involvit. Adhæc per eandem Christus dicitur in nobis manere, & habitare, imo in nobis inesse, quæ omnia essentialem ab hospitiis indistantiam evincunt. Involvit (b.) *mutuam περιχώρησις*. Posita enim hac intima Dei, hominisque, conjunctione, tum Christus est in credente, tum homo inest Christo. Et quemadmodum Pater est in Filio, & Filius invicem in Patre per *περιχώρησις* essentialem; ita & Deus est in homine, & homo invicem in Deo, per *περιχώρησις* mysticam. Involvit denique (c.) *gratiosam ἐνέργειαν*. Præsentia enim

CUM DEO, ET INTER SESE.

enim divina nunquam expers est operationis, & ubi quisque manet ac habitat, ibi quoque operatur & agit, unde in credentibus Deus non solum habitare, sed & ambulare dicitur, 2. Cor. VI, 16.

§. XXXVI. Actum igitur, statumque Unionis sequitur II. mutua *κοινωνία*, sive *communicatio*. Atque hæc quidem in *personalibus*, solet certis quibusdam Propositionibus, *personalibus* nimirum, & *idiomaticis* exprimi. Ceterum Mystica, de qua nunc agimus, Unio (a.) *non admittit propositiones personales*. Qualis enim Unio, talis *communio*, talis ex *communione* resultans *propositio*. Unio autem mystica, quod supra jam monuimus, non est personalis. Ergo nec inde oriunda *communio*, vel *communionis* index *propositio*, talis erit. Nefas igitur fuerit homini credenti, dicere: *Ego sum Christus*. Quod sibi temere sumpserunt *Ezech. Metb, Jes. Stiefelius*, & juvenis quidam *Gedanensis*, de quo *Dn. D. Schelvv. in Syn. Contr. Art. XX. p. m. 170. seq.* narrat, statuisse illum, *per & propter Unionem, essentiam nostram in divinam essentiam, non aliter atque aqua in vinum, transmutari, adeoque credentem dicere posse, ego sum Christus*. Et utinam hanc formulam non etiamnum illi defenderent, ac incrustarent, qui, sub specie pietatis provehendæ, turbas in Ecclesia excitant, quorum nomina in *Compendio err. Pietist. exhibit. Celeberr. Dn. L. Niebenck. L. IIX. p. 128.*

§. XXXVII. Nec est, cur quis *Lutheri* sese auctoritate tueri velit, qui in *Comment. ad Gal. II.* scribit: *Fidelem per fidem sic conglutinari Christo, ut ex ipso, & illo fiat una quasi persona, ut cum fiducia dicere possit: Ego sum Christus*. Nam statim se explicat, addens: *id est, Christi iustitia, vita, victoria est mea, & vicissim Christus dicit:*



dicit: Ego sum ille peccator, i. e. ejus peccata, mors &c. sunt mea &c. Nec dicit, quod Christus, & peccator fiant una persona, sed quasi una persona. Unde facile apparet loqui eum, non de *Unione mystica*, sed de *Unione illa morali & relativa*, quæ in actu justificationis inter Mediatorem, & reum peccatorem versatur, de qua supra monuimus. Conf. interim B. D. Neumannus, de *Apoteof. fanatic. §. 8. p. 11. Magnif. Dn. D. Fechtius, in Diss. de Christo in nobis, & Dn. M. Rumpaus, pecul. diss. de hoc argum.*

§. XXXVIII. Admittit tamen hæc Unio (b.) *Propositiones idiomaticas*, saltem ἀναλόγως. Quæ sicut in capite de Christo ad tria genera, vel classes, reduci solent; ita & hoc loco ad totidem non incommode revocabuntur. Ubi tamen fatendum est, in applicandis exemplis propterea non nullos hallucinari, quod, nostro judicio, Communionem cum Christo *in genere*, a Communione, quæ ex *inhabitatione* resultat, non satis accurate distinguunt, utut hoc non minus sit necessarium quam *Justificationem* ipsam, & quæ illam sequitur, *Unionem*, studiose discernere.

§. XXXIX. Primum igitur genus fuerit ἀναλόγως sic dicta ἰδιοποίησις. Ad quam nonnulli referunt (1.) κοινωσίαν τῶν Θεανθρώπων, quando e. g. cum Christo dicimur passi *Pbil. III, 10.* crucifixi *Gal. II, 19.* mortui *Col. II, 20.* sepulti *Rom. VI, 4.* resuscitati *Col. III, 1. Eph. II, 6.* Verum, si ἀκριβείαν tueri volumus, hæc omnia potius ad Unionem Relativam, & moralem, in qua nobis imputantur, quam Mysticam, quæ post justificationem sequitur, sunt referenda, nisi forte de applicationis *continuacione*, in *statu* conjunctionis, & *gratia*, accipiantur. Rectius ad hoc genus reducimus (2.) ἰδιοποίησιω τῶν

τῶν ἀνθρώπων. Christus enim sibi appropriat cum ea, quæ nobis ab aliis impertiuntur *bona*, utpote, quando recipimur in domum, visitamur, cibamur, potamur, *Matth. X, 40. XXV, 35.* tum quæ nobis ab aliis inferuntur *mala*, quando nempe destituimur, fastidimur, vexamur, ejicimur, *Matth. XXV, 42. Luc. X, 16. Act. IX, 4. 5.*

§. XL. *Alterum* genus harum Propositionum est *μεταποίησις*, sive singularis illa *βελτίωσις* hominis per fidem cum Deo arctissime copulati. Participes enim facti divinæ essentiæ, venimus in societatem exquisitissimorum bonorum ab ea dependentium. Itaque *Pater* nobis donat divinitam *δύναμιν* 2. *Petr. I, 3. τὴν υἰότητα.* *Rom. VIII, 14. Gal. IV, 7.* non quidem, ut filii simus per *generationem*, & naturam, sed per *adoptionem*, & gratiam: pacem in conscientia, *Rom. V, 1.* aliaque id genus. *Filius* ea donat, quæ nobis, per fidem in gratiam receptis, profutura undecunque promeruit. Utut enim hæc *ratione acquisitionis*, & divinæ *destinationis*, ac *oblationis* sint omnium, *ratione applicationis* tamen, & *realis fruitionis*, solorum sunt credentium. Per hanc idem communicat nobiscum *jus regni*, non ejus, quod per hereditatem a Patre accepit, sed quod obedientia sua peperit, *Ap. I, 6. V, 10.* *Jus Sacerdotii*, non quoad externam administrationem, sed spiritualium hostiarum oblationem, *Ebr. XIII, 15. Gaudium cordis*, 1. *Petr. IV, 13.* Vitam, gloriamque, non infinitam, quam ab aeterno habuit, sed finitam, & quam in resurrectione accepit *Phil. III, 21.* Quæ enim *per se divina* sunt, hæc Christo homini *in finito modo*, & *ἀμέτρωσ* sunt *communicata*, a nobis *finito modo habentur*, observante *B. Rappolto l.c. p. 23. Spiritus S.* largitur nobis *dona*, quæ vocantur, *sanctificantia*, *incrementa*

fidei, spei, & charitatis: ardorem pie precandi, siquidem clamat in cordibus nostris, Abba, Pater, *Rom. VIII, 15.* eundemque cum *fiducia exauditionis* conjunctum *Gal. IV, 4.* Largitur sapientiam, & scientiam *Col. I, 9. 1. Jo. II, 20.* sanctitatem *Rom. I, 4.* ea denique omnia, quæ tanquam fructus Spiritus inhabitantis laudat Apostolus, utpote *gaudium, pacem, lenitatem, benignitatem, bonitatem, fidem, mansuetudinem, temperantiam &c. Gal. V, 22. 23.*

§. XLI. *Tertium* genus est *κοινωνίης*, seu *κοινωνία τῶν ἀποτελεσμάτων*, h. e. ejusmodi operationum, ad quas & Deus inhabitans, & homo inhabitatus, concurrunt. Est enim inter Christum caput, & inter conjunctos cum eodem credentes, communio quædam officii, & operum, quæ ex officio sacerdotali, & regio promanant. *Apoc. I, 5. 6.* Per hanc igitur cum Christo conjunctionem omnia valemus, *Phil. IV, 13.* possumus carnem nostram crucifigere, *Gal. V, 24.* mundum vincere, *Jo. XVI, 33. 1. Jo. V, 4. 5.* Diabolum fugare, *Jac. IV, 7.* Per hanc quoque Christus in nobis per Spiritum S. orat, sacrificat, docet, vincit, regnat, dum vel talia per nos efficit, vel nos ad talia facienda impellit. *Rom. VIII, 26. 1. Pet. II, 5. 9. 2. Cor. XIII, 3. Eph. VI, 20. sq. Rom. VIII, 37. Rom. IV, 17. Apoc. V, 10.*

§. XLII. Cave autem hæc extendas (a.) ad *operationes mere divinas*, realemque illarum productionem, cujusmodi sunt creatio, & providentia. Neque enim ideo, quod communionem habemus cum Patre, cum eodem ad instar Filii, in sustentando hoc universo, cooperamur, *Jo. V, 17.* (b.) Ad *actiones ἡλασικὰς*, & *mediatorias*, quemadmodum e Pontificiis *Salmeron* eo progreditur, ut statuatur, *Mariam, τὴν θεοτόκον*, cooperatam fuisse cum Christo

sto in negotio redemptionis, quoniam secundum illud
1. Jo. 1, 3. νοικωνίαν habemus cum Christo. Obtinet
 hic sapius laudati Rappolti non contemnenda regula:
*Ad communionem operum ἡλυσίμων, vel realem illorum
 efficientiam, sociasque quasi operas cum Servatore nostro,
 hac trahere, est Scriptura de communiōne mystica agentis
 abuti testimonii.*

§. XLIII. Quibus ita disputatis, vereor, ut cum
 formulis caute, sobrieque loquendi, conciliari possit
 glossa, per quam in Progr. quodam natal. verba Pauli
Eph. III, 17. Christus habitat per fidem in cordibus nostris,
 sic declarantur, Christum *concipi, nasci, pati, mori, vivere,*
in cordibus nostris. Utut enim Auctor ista, in suis
 ad *Magnif. Dn. D. V. E. Löscherum* responsoriis, de applica-
 tione omnium istorum beneficiorum velit intelligi, re-
 cte tamen modo laudatus Theologus contra monuit, hoc
 pacto Unionem *relativam*, quæque ad justificationem
 spectet, cum spirituali, & *mystica*, quæ ad sanctificatio-
 nem referri debeat, confundi.

§. XLIV. Enim vero (i.) Scriptura istis loquen-
 di modis non utitur. Christum *in nobis formari* legimus,
 scilicet per expressionem doctrinæ, ac morum, *Gal. IV,*
19. concipi, & nasci, non legimus. Queritur Apostolus,
 Christum crucifixum esse in Galatis, *Gal. II, 1.* Verum
 non inhabitatis, sed potius *evacuatis a Christo Gal. V, 4.*
coll. Ebr. VI, 6. Quam quidem interpretandi rationem
B. Lutherus suo in *Commentario* fortioribus argumentis
 firmavit, quam quibus solvendis *ô antidinos* par esse
 possit. Et vero quid istud sibi vult: *Christum inhabitantem
 mori in nobis? Vivere Christum in nobis,* testatur Apo-
 stolus,

stolus, *Gal. II, 20. mori cum in nobis*, non testatur. Flo-
 sculus ergo est non e *Pauli*, sed *Myssicorum*, hortis petitus,
 tanto quidem studiosius fugiendus, quanto aptior est, ad
 peregrinam ingenerandam sententiam. Certum qui-
 dem est, *Christi mortem nobis imputari*; sed enim propte-
 rea Christus in Scriptura non dicitur *mori in nobis*; sed nos
 mortui dicimur *cum Christo*. Quod si (2.) *Tò Christum in*
nobis mori, pro voluntate τῆς ἀντιθέσεως, de *applicatione*,
 & fructu mortis Christi, accipi debet, tum non video,
 qui possit ex *gratia inhabitante*, & ex *Eph. III, 17.* deduci.
Applicatio enim illa, & imputatio fit in momento, & *actu*
justificationis. Ubi enim homo peccator postulat *via-*
lata legis divinæ, & reus pronuntiatur mortis, ac æter-
 næ damnationis, confugit ille ad Christum, reatumque
 omnem a se collectum, in hunc devolvit, illius contra
 utramque obedientiam, adeoque & passionem, ac mor-
 tem, sibi appropriat per fidem. Hinc causam dicere jus-
 sus: fateor, inquit, reum me esse violatæ legis, & æternæ
 mortis: sed illa jam morte defunctus sum per Christum,
quocum & crucifixus sum, & mortuus, Gal. II, 19. 2. Cor. V, 14.
 Porro, quam ego legi debebam obedientiam, per me
 vero præstare non poteram, hanc præstiti per Christum,
 hujusque obedientiam numeris omnibus absolutam, mi-
 hi vindico, adeoque *in Christo, & cum Christo* legem im-
 plevi, *Rom. V, 19. Gal. IV, 4.* Hoc facto absolvitur a reatu
 peccator, eique adjudicatur vita æterna, quia nihil est
 condemnationis (non *in quibus est Christus, sed*) in iis,
 qui sunt *in Christo Jesu Rom. VIII, 1. coll. 2. Corinth.*
V, 21. In actu igitur *justificationis*, & quoad *merita* Chri-
 sti, patiendo, & moriendo parta, *nobis sunt applicanda*,
 Christus

CUM DEO, ET INTER SESE.

Christus, ut sic loquar, nihil agit per inhabitationem *in nobis*, adeoque nec *patitur*, aut *moritur in nobis*; sed *nos* omnia agimus *in Christo*, & *cum Christo*, quocum & *mori-mur*, & *vidimus*. 2. *Tim. II, u. 12.* Neque enim subjectum *justificationis* est homo a Deo *inhabitatus*, sed *impius Rom. IV, 4.* utut credens, & cum Christo, Paracleto suo, coram Deo iudice, comparens: nec inhabitationis beneficium *præcedit*, aut *ingreditur* nostram cum Deo reconciliationem, sed *sequitur*. (3.) Si commode, ac sobrie dici potest, Christum *propter suam in nobis inhabitationem* per fidem, *concipi, nasci, mori &c. in nobis*, tum sequitur, formulas illas ad aliquod antea recensitorum generum revocari (debere). At enim ad *μεταποίησιν* reduci non possunt, quod *πρόδηλον* est. Neque etiam ad *κοινοποίησιν*, quia nec *nos cum Christo*, nec *Christus nobiscum*, sed *Christus in nobis* mori dicitur: Ergo ad *ιδιοποίησιν*, quo etiam ipsius Auctoris interpretatio propendere videtur. At vero quicquid ad *ιδιοποίησιν*, e gratia inhabitante resultantem, spectat, id per se, & *formaliter* est hominum, per *appropriationem* vero est Christi, utpote, quando *potari, cibari, vestiri, ejici, visitari, vexari*, suis in membris dicitur. Sequeretur igitur *τὸ nasci, & mori*, quo de loquimur, *nostrum* esse formaliter, non *Christi*, vel etiam nobis nascentibus, & morientibus Christum ipsum nasci, ac mori. Optarim igitur, omitti has formulas, quæ sequiorem sensum non tam admittunt, quam necessitate quadam ingenerant, quibusque Mysticos delectari, & malefanas sententias aliis propinare, jam constat.



§. XLV. Sat multa de communione fidelium CUM DEO: Videamus nunc etiam, sed paucis, de communione fidelium INTER SESE. Atque hæc quidem ab *unitate capitis*, quocum conjuncti sunt, & *unitate Spiritus*, a quo gubernantur, dependet. Enimvero inter Titii & Sempronii manus nulla datur naturalis communio, quoniam nec eidem capiti sunt junctæ, nec ab eodem Spiritu animantur. Datur vero inter Titii dextram, & sinistram, ob unitatem capitis, & unitatem animæ, communio. Itaque nec inter Christianos, & ethnicos datur spiritualis communio. Quid enim justitiæ cum injustitia: Luci cum tenebris: Christo cum Belial? siquidem nec eidem capiti adhærent, nec ab eodem Spiritu gubernantur. Fideles autem omnes arctissime sunt copulati cum Christo, ab ejusque reguntur, & quasi animantur Spiritu. Hi ergo mutua quadam communione fruuntur, ac gaudent.

§. XLVI. Enimvero Christus, secundum utramque naturam, divinam, & humanam, ad cœtum, quem suo sibi sanguine peperit, relatus, *caput* est Ecclesiæ, quæ invicem est corpus ejus, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimplet. Uti vero capitis naturalis, proprie, ac formaliter sumpti, duo sunt officia, primo, ut *in totum corpus insuât*, illudque diffusis a se spiritibus animet: deinceps, ut *regat*, protegat, & *gubernet*, corpus; ita & Christus (i.) *in corpus suum*, quod est Ecclesiæ, & omnia ejus membra, *insluit*, & vim, ac virtutem suam per eadem diffundit. Quod ipsum vero sit duplici ratione: (a.) moraliter; (b.) physice. *Moraliter* insluit suis meritis, per quæ acquisivit hominibus dona gratiæ.

gratiæ. Unde DEUS benedixisse dicitur credentibus omni benedictione spiritali in cœlestibus per Christum, *Eph. I, 3.* *Physice* vero influit, dum Spiritum, ejusque dotes, impertit, actiones, & habitus supernaturales, utpote pias cogitationes, sancta desideria, fidem, spem & charitatem, erga DEUM & proximum, in iis producit.

§. XLVII. Deinceps (2.) *gubernat quoque, regitque* Ecclesiam, & singula Ecclesiæ membra, dum eidem non modo de idoneis Episcopis, Doctoribus, & Pastoribus prospicit, sed & aliquando fines illius amplificat, credentes in agnita veritate confirmat, a peccatis contra conscientiam retrahit, cribrationi nonnunquam exponit, e molestiis & angustiis eripit, charitate mutua conjungit, sapienter omnia in Ecclesia ordinat, tandemque ad suam gloriam & Electorum salutem componit, ac dirigit. *Eph. IV, 11, 12 seq.*

§. XLVIII. Influit vero, & gubernat cum per se ipsum, tum per *Spiritum*, cujus utut variæ sint, & excellentes dotes, unus tamen est, manetque Spiritus. *Divisiones enim donorum sunt, sed idem Spiritus: & divisiones ministeriorum sunt, at idem Dominus: & divisiones operationum sunt, sed idem est Deus, efficiens omnia in omnibus.* Unicuique vero datur *manifestatio Spiritus, ad id, quod expedit: nam huic quidem per Spiritum datur sermo sapientia, alii vero sermo scientia, secundum eundem Spiritum: alii vero fides, per eundem Spiritum &c. Sed omnia hæc efficit unus ille, & idem Spiritus. 1. Cor. XII, 4. 5. seq.*

§. XLIX. Atque hic quidem influxus Christi, per Spiritum, efficit, ut fideles non solum *Capiti* suo, sed &

ſibi metiſſis adhæreant, ſanctiſſimoque ſocietatis vinculo inter ſe copulentur. Uti enim corporis, proprie ſic dicti, & naturalis, membra, multis licet articulis diſtincta, una tamen compage omnia continentur; ſic etiam, plures licet numero, fideles, cum locorum, tum temporum ſpatiis a ſe invicem ſejuncti, uno corpore, quod eſt Eccleſia, comprehenduntur. *l. c.*

§. L. Vinculum autem, quo copulantur, eſt geminum. Alterum eſt (a.) *conſenſio in fide*, illa præcipue parte, quæ ſpectat ad fundamentum. Una enim fides eſt, utroque instrumento, Veteri, Novoque, propoſita, *Eph. IV, 5*. Siquidem credimus per gratiam Domini noſtri Jeſu Chriſti, ſalvi fieri, ſicut Patres. *Act. XV, 11*. Quorſum reſpicit Eccleſiæ hymnus: *Die gantze Chriſtenheit auff Erden, hält in einem Sinne gar eben*. Externa vero doctrinæ ſalutaris *profefſio*, hoc minus eſt excludenda, quod Apoſtolus conceptis verbis ſcribit: *Quum habeamus eundem Spiritum fidei, nos etiam credimus, quapropter & loquimur. 2. Cor. IV, 13*. Alterum eſt (b.) *cooperatio in charitate*. Uti enim ejuſdem corporis naturalis membra ſe mutuo amant, & ex amore cuſtodiant, juvant, ornant, nutriunt: & uno dolente, vel latante, reliqua ſimul vel dolent, vel latantur; ita & Chriſtiani utramque ſociorum fortunam una ferunt, & cum dolentibus dolent, cum gaudentibus gaudent, ſeque mutuo ſublevant, & charitatis officiis certant, & ſancto quodam conſenſionis, & amicitiaæ foedere copulantur.

TANTUM.

S. D. G.





Wi Heuberg, Diss., 1703
H-7

ULB Halle

005 361 788


3



SB

W 178





2. D. B. VI
DE

537
21

COMMUNIONE FIDELIUM CUM DEO. ET INTER SESE

RECTORE ACADEMIAE
SERENISSIMO PRINCE
DOMINO

FRIDERICO
ELECTORATUS SACR
ETC. ET
PRÆSIDENTE

DN. GOTTLIEB V
S.S. THEOL. DOCT. ET PROF
EPHORO, COLLEGIUM
DOMINO, PRÆCEPTORE, ATQUE
HONORIS ATQUE OBSERV
NUM DEVENI

AD DIEM XXV. Octobr
E CATHEDRA I
PUBLICE DIS

AUCTORITATE
M. JOHANNES PAULI
PLAVIA-VAR

VITEMBERGÆ, PRELO

